Mirum tuum silentium; ut quandoq., ita ut est amor, sinistri aliquid in mentem veniat. Nos hic in summo squallore et luctu sumus. Decessit nobis pridie Calend. Januarij desiderium nostrum Erastus: cuius viri obitu, quantum amiserit ornamenti et luminis vel haec Academia per se nimis orba, vel tota et Medicina, atq. in his afflictissimis et turbulentissimis temporibus Theologia, tute ipse scis: certè sine lachrymis non possum illas suscipere cogitationes. Ego quidem facilè scio, me non praeceptore solum, sed patre et orbatum: nec quò me nunc vertam, habeo. Hoc uno praesidio fidebam. Postridie Nat. Christi, veni ad prandium eius invitatus ab eo pridie: offendo hominem flatibus suis illis, miserrimè affectum, ut tamen mensae conaretur assidere: sed acerbitate dolorum [illegible] durare non potuit: repetit balneum: nihil autem multo minus quam alias, profecit. Redeo die Veneris; etiamnum gravissimè cruciatur, noctemq. habuit insomnem: vespere me iam absente, praesente Zuingero (uti ex eo postridie intellexi; nam me praesente nihil tale animadverteram) errore quodam mentis coepit affici. Die igitur Sabbathi è prytaneo (fuit enim disputatio) una cum Zuingero illuc adeo: meliuscule habuit: quin de responsionibus videlicet cuiusdam Galli (nosti, credo, hominem illum [illegible]) nobis vehementer arrisit. Spe optima discedimus: Die solis, doloribus mitescentibus, summa aderat virium infirmitas, cibiq. fastidium, & nescio quod catarrhosi in faucibus, ac dolor extra cranium capitis. Lunae die stertor pectoris, et maximis conatibus difficillima pituitae excretio: Adsum & ipso optimè sperante, et alijs non desperantibus: postridie, ecce tibi, è prandio (post prandium enim, ut scis, solitus sum eum adire) per pharmacopoeum vocor ~~ad tes~~ ~~tim~~ eius iussu, ad testificandum de eius voluntate. Hic iam facilè licuit videre, ~~quid~~ quantam virium iacturam ea nocte fecisset: quid verbis opus est? summa festinatione capita suae voluntatis, mente tum optimè constans; sed stertore tamen multum impeditus, vix significare potuit adstitibus ritè atq.

Hora sexta [?] vesperi placidissime extinguitur. Ita hoc lumine tanto
privati, nunc in tenebris palpamus mi amicissime Theophile. Usum fructum
omnium bonorum uxori legavit. Ea demortua, quatuor stipendia; singulis
quadraginta florenos: id est, 3200 florenos: suo illi cognato, quem nosti,
mille florenos: famulo Marco, centum: pauperibus ducentos: reliqua
uxor, ut sua voluntate, quibus velit det. Stipendia duo Basileae: duo
Heydelbergae, si Frid. religionis veritas ibi colatur. De bibliotheca et
scriptis, cum eum uxor admoneret aliquoties, dixit se ea nocte ei omnia
dictaturum: sed mors praeoccupavit. Valde miror de illo scripto de disciplina
ecclesiastica, quem in voluit post mortem edi, uti fortassis tu iam audivisti,
cum nihil dixisse: ac se sine ullo dubio, aliquid uxori mandasset. Quod
si vel tu, vel tuus frater adfuissetis, fortassis aliquid certi iam constaret.
Nunquam putavit se adeo morti propinquum esse: quin uxorem, non
solum in futuram noctem, sed in alios dies responsionibus mirabat: postquam
illa diligenter a nobis commonita fuit de periculo iam iam prae foribus.
Ego certe me vehementer neglexi, qui potuissem, ut scis, omnia eius usu
probata medicamenta, atque ita explicata, habere. Nunc nescio quid
debeam sperare. Si quid obtinuero, faciam ut multis pateant. Vellem
tuum fratrem, aut etiam te adesse, qui me gratia maiore apud eam valetis.
Sed fortassis aliquid potero, praesertim cum nihil sentiam alieni animi,
et non ignorat, illa tractati erga me singularem animum. Nondum scio quid
illa actura sit: sedis nunc hora quarta funus eius ducetur. Vellem
Jac. Gryn. plus apud eam valeret: sed fortassis ipse gravissimus casus,
voluntatum aliquam afferet mutationem. Uno alterove mense elapso,
videbimus, ut spero. Paucis ante obitum diebus, me de Heydelberga allocutus
studuit mihi ibi locum bonum parare, si, ut sperabat, scholae mutabitur: et
fortassis ipse, uxore praesertim incitante, eodem redisset. Quam mihi
hoc fortunatum fuisset. Nunc oppressus miseriis sic ~~[illegible]~~ iaceo.

Accepi literas ex Italia ab nostro Lauatero: de reditu, aut saltem discessu cogitare te. Metaphysicus ille parrisius, de quo multus mihi saepe sermo fuit, obiit. Amisi hoc anno, duos meos primarios praeceptores: utrunque eruditissimum: sed alterum etiam pietate et fide praestanti. Certe animo sum conturbatissimo, et lachrymas non contineo. Vale, et rescribe. 2 Januarij. Basileae.

T. ps. Sebastianus

Mulhusanj nihildum respondent: ego quoque valde nunc occupatus sum factus: dicantur tradi mea vel in primis commoui, ut scis. Ylar tuo fac sciam: ut unde ortus sit tumultus, possim videre.

Ingenio, virtute et doctrina
præstanti viro D. Theophilo
Madero, Organi physici professo-
ri optimo apud Altorffienses. S.

Altorff.